

IN AUGUSTA
STUDIORUM RENOVATIONE

AD PATRES SALMANTICENSES

ORATIO HABITA

No

D. Joanne Martin Carramolino,

Jurisprudentiae Civilis Doctore,

et Humaniorum Literarum

publico professore.

ANN. D^NI. MDCCCXXIX.

SALMANTICÆ:

APUD JOANN. VALLEGERA, TYP. UNIVERS.

b 16650578

IN AUGUSTA
STUDIORUM RENOVATIONE
SALVATORIS SANTISSIMAE MATERIAE
ORATIO HABITAT

Omnes enim trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem: in qua excellere pulchrum putamus; labi autem, errare, nescire, decipi, et malum et turpe ducimus.

Cicero lib. I. de Off.

SALVATORIS
JOHN ARSECKA, ET, GENEVÆ



...missorum aitque nullum bonum resaliquia
...nius neq; enim omnia ostendimus in eis
...bus et aliis: nullum nullum nullum

Quamquam iis, qui à litterarum otio, ad renovandos Academiæ ludos vos revocaverint, arduus semper viseretur hic ad dicendum ornatissimus locus, nihil tamen vester conspectus, humanissimi Doctores, nihil lectissimorum hominum frequentia, nihil perdifficilis dicendi ratio attulit metus, quominus res vobis, magistratui suo, avidæ scientiarum juventuti, cunctæ denique nostræ civitati utilissimas ac jucundissimas diuturno silentio prætirent. Quæ quidem consuetudo, etsi ita extollenda videtur, ut majori laude,

(IV)

majorique honore dignam existimem;
 magnum mihi tamen facessit negotium,
 propterea quod nullis verbis possim
 meum adimplere munus, quæ in cæ-
 terarum artium laudibus haud sint
 promiscuè usurpata; unde fit, ut vul-
 garibus, tritis, ac velut translatiis
 virtutibus, unicuique disciplinæ effe-
 rendæ acommodatis, ad hanc ornan-
 dam Spartam vobis uti videatur.

Nam cum speciali quadam ac
 pene divina providentia humaniores
 apud vos litteras edocendi munus
 exeunte proximo studiorum curriculo
 fuerim adeptus, ab alta, quam animo
 conceperam, in Scientias, in Virtutes,
 in Principem, in Patriam et Religio-
 nem dicendi ratione, est mihi, jam
 absoluto, hodie recedendum. Quæ

cum ita sint; postremumque practicæ
Eloquentiæ magisterii, quo, vix dūm
in hoc amplissimo cooptatus ordine, à
vobis fueram munificentissime dona-
tus, gerens officium; nullum mihi prius,
nullum vobis gratius, nullum omnibus
imberbis juventutis votis optatus, nul-
lum rei denique publicæ commodius
duxì negotium, quod ad perpetuam
me adscisceret orationem, quam de
veræ Sapientiæ necessitate, de honesto-
rum scientiarum beneficiis, deque
miseris atque teterrimis sæculis, quæ
omnes gentes inscitiâ laborantes gra-
viter vexarunt, hodierna disserere die;
omniumque subjicere oculis, eò bea-
tiores fuisse, futurasque Nationes, quò
et acrius, et ardentius, et virilius sa-
pientiam coluerint.

Magnum equidem opus aggredior;
vobis honestissimi Magistri, valde cons-
picuum, quod autem humeri mei fer-
re recusant; nec ea vestra, quæ po-
tius consuetudine, quam necessitate
postulatur, indigens venia. Mihi tamen
in altum loqendi mare semel evecto
totam vestram impendite misericor-
diam, ut vela confidentius faciens, quæ-
situm portum feliciter attingam. Vos-
que jucundissimi juvenes, hujus Aca-
demiæ decus atque ornamentum, quos
meus præcipuè alloquitur sermo, arrec-
tis auribus libenter accipite; ab eo
enim, qui ordini nostro præest, pla-
cide accipiendum scio.



Omnem populorum salutem in litterarum cultura, tam ad eos conservandos, quam omnium bonorum genere cumulandos, positam fuisse, adeo luculenter historiarum monumentis comprobatur, nemo ut, nisi qui in plena rerum ignoratione versaretur, unquam inficiari sit ausus. Cum enim communis felicitas è singulorum sociorum sit salute conflata; salus autem sociorum in virtutis exercitio nitatur; nec virtus unquam excoli possit, radiantes nisi Sapientiae fulgores eam veluti digito commonstrent, illud pro-

fecto fluit, eas tantum, in quibus litterarum studia viguerint, beatas esse posse civitates. Etenim quoad longissime præteritum mihi repetere tempus, et populorum pueritiam, juventutem, virilitatem, senectutemque investigare licet, nullum, quod non hujus rei perspicuitatem exhibeat, invenio monumentum.

Neque veras opimasque scientiarum fruges illis decerpere licuit, qui tametsi studiis minime infensi, labantem voluptatem, fugacem animi recreationem, tædiosoque labori levamen ex his duntaxat educi posse, audacter confidenterque pronuntiant atque decernunt. Veruntamen majus illis Dii munus concesserunt: hominumque felicitas ita ipsarum involvitur blandi-

tiis, ut, qui sapientis animum huma-
nis flagitiis casibusque subjectum con-
tendant, vehementer mihi aberrare vi-
deantur.

¶ Quid enim sibi primævi homi-
num voluerunt ductores, qui cum cæ-
teros Deos Veneris imperio subjeci-
sent, nihil autem in Minerva, nihil
in Musis libidini auctoritatis esse fa-
terentur? ¶ Quid enim, cum ætherei
Olympi fastigium quietum perpetuo-
que placidum fingerent, propterea
quod eò altius stetisset, quò turbinum
tempestatumque ingruerent procellæ,
edocere sibi curarunt? ¶ Quid enim
ille quasi divini Orphei significat can-
tus, quo Argonautarum aures animi-
que percussi, molles ac delenificas Si-
renum aufugere voces, ne ipsarum

dulcedine sopiti essent in æternum submersi? Quid denique hæc atque alia fingentes sibi studerunt poëtæ? Nihil aliud nisi omnibus ostendere, divinam virtusque absolutam sapientiam esse censem tam. Nihil aliud nisi, virum litterarum tenacem, neque instantis tyranni vultu, neque pravorum imperantium jussis nutaturum. Nihil aliud nisi, ceream juventutem imperitorum nautarum similem ab scopolis ipsi imminentibus studiorum auxilio esse removendam. Nihil aliud nisi: Sed sileantur illa Mythologiæ testimonia æterna sæculorum oblivione sepulta: prætereantur ævi tenebricosi documenta; et ne vos poëtarum fabulis arrepti videamini, illis, qui Ægyptum, qui Græciam, qui Latium quondam habi-

taverint , illis , inquam , communicate virtutes , mores , leges , atque principes , quos habuissent , ab ipsismet hominibus inquirite ; et beatitudinis causam , quam pene sibi devinctam olim obtinuerint , assiduè perscrutamini .

Hanc vobis gerendam mecum accipite provintiam ; et tam sedatis otio que pacatis , quam turbulentissimis bellorum temporibus , quæ fuerint sapientiæ fata , undique invenientur . Tuum erat , divine Plato , quod ab Ægyptiis traditum cepisti , tuum erat homines edocere , beatas tandem fore civitates , in quibus aut Philosophi regnarent , aut Reges philosopharentur . Tuum erat , justissime Solon , tumuli jam limina pulsans , è lectulo clamitare , jucundius suaviusque te è vita discessu-



rum, si quid adhuc ediscere potuisses.
 Tuum erat, o Rex regum Agamemnon,
 saepenumero dicere, non audacis Achil-
 lis, non indocilis Ajacis, non imper-
 territi Diomedis, sed prudentis, sed
 experti atque placidi Nestoris decem
 similes expetere tibi ad brevi superbū
 Ilium tempore expugnandum. Tuum
 erat Mitylenæ Lesbii totius princeps
 legibus sancire, ne populi à te victi,
 perpetuæque adscripti servituti liberos
 suos litteras edocerent. Tanta animi
 persuasione credebas, solummodo ci-
 vitates et formari, et augeri, et per-
 petuari posse, queis litterarum studia
 cordi essent!

Neque aliam fuisse urbis illius, cui
 totius universi gentes stiterunt paren-
 dæ, illius imperii, quod à Tiberis oris

(XIII)

ad Euxinum, à Byzantio ad Herculea
usque promontoria divinitus dilatum,
illius populi romani, quem Cœlicoli
omnium civitatum constituerant recto-
rem, et majestatis, et justitiæ, et bea-
titudinis originem, quam virtutis exer-
citium sapientiæ præceptis tempera-
tum, ab omnibus Historiarum peritis
est ultro concedendum. *Quis* igitur
negare poterit, tandiu ipsius duravisse
magnitudinem, quandiu venusta Sa-
pientiæ delubra luxuriæ, avaritiæ, li-
bidinisve non fuerint holocaustis inqui-
nata? *O Reguli! O Catones! O Cin-
cinnati!* *O cætera Romæ lumina at-
que columnæ!* Vos obsecro atque ob-
testor, ut hujus sitis veritatis testes:
neque mendacium ab ore meo exilire
patiamini.

Si ab hac ad illam terrarum partem populis inhabitatam, qui langüentem pallidumque solis semper viderunt ardorem, proficisci velitis, quanta in hospites ferocitas, quanta in parentes obsequendos barbaries, quanta scientiarum contemptio, quanta in Reges gereretur simultas, quanta omnium rerum esset varietas, ita mirabamini, ut centies pigeat pudeatque vos, ad tam horrida loca oculos semel intendisse.

Ea igitur inter utramque gentem diversitas viget, ut dum Græci atque Romani, quas vicerunt regiones, civitatibus ornant, Scytæ, Germani, Longobardi, et qui quondam nostram, qua nihil carius, Patriam subdiderunt, miserè populantur; dum illi Areòpa-

gum et Capitolium constituunt, hi Magistratum tecta disrumpunt; dum illi tempa Diis immortalibus ædificant, hi tantummodo Vulcano, omnibus us- tis atque consumptis, alliciunt; dum illi Principis auctoritatem prosequun- tur, hi ferro facibusque scelestè con- torqueunt; dum illi Porticum, Lyceum, et Academiam erigunt, hi litteris, ar- tibus, atque scientiis succensi, nisi bel- lum omnia contemnunt; dum illi sub- ditorum mores ad humanitatem infor- mant, hi, veluti Eumenides per atra ululantes plutonia, totius societatis vin- cla disolvunt.

Et quænam tanti discriminis cau- sa? Quod tam contrarium agendi prin- cipium? Istane, quam gentes Natu- ram appellant, erga illos placida, erga

vos se præbuit offensa? ¡Utinam vestrum in hoc excusationem invenisset delirium! ¡Utinam quædam à Cœlo promanasset distinctio, quæ hanc labem à vobis atque ignominiam deleret! ¡Sed proh dolor! ¡Proh hominum cæcitas!

Illa quidem mentis humanæ facultas, quæ homines admonuerat quid domi, quid militiae, quid foret in magistratu præstandum; quæ conjugibus, parentibus, atque filiis propria edixerat officia; quæ super unumquemque Dei O. M. signaverat vultum; illa denique Sapientia, quæ nos veluti per manus ad beatitudinem perduceret, ab antiquioribus populis valde, simul ac cognita, fuit honorata; à recentioribus autem ita vi, ita ferro, ita omni su-

plicio vexata, ut accidi nihil supra potuisse, si pro aris et focis esset dimicandum.

Cum igitur naturæ ratio recte vivendi, agendique præceptrix, præteriorum exemplorum recordatrix, futurorum veluti aruspex nobis perpetuo fuerit; ejusdem apotheosin utrum inficiabimur? fidissimam ei observantiam an denegabimus? Moderatoris Æterni nuntiumne habebimus?

Grates quidem meritas à nobis accipe, Ratio; et quamquam dignas tibi nostræ non sit facultatis persolvere, quantumcumque tamen est, in perpetuum evadat gratitudinis præconium, quod elatissimis ad sidera usque vocibus pronuntiet, nos unam te prosequendam, unam te venerandam, ne-

que per momentum dubitasse.

Sed quid est quod vox faucibus
hæret, et vinculis irretitur, ne tam de-
bitas atque honestas referat laudes?
Quid est quod animus etiam tanta per-
fusus lætitia, inexplebilis adhuc per-
maneat? ¡Hei mihi, quod aliam cau-
sam perspicere videor, aliudque nu-
men altiori resplendens perfectione! Tu-
que, ac si meis esses laudibus succen-
sa, irata voce ita mihi loqui videris.

„Desina insarie tam execrata emit-
tere verba; non dictis his me censeas
efferri; quæque dignioris virtutis sint,
mihi accommodes: neque enim mea
adeo incendor natura, ut ortum du-
cam à nemine, neque attributis illius
qui me, atque omne creavit, unquam
exornari sum aussa. Sin vero mirabi-

lis astrorum cursus, si terræ, quam
inhabitas, forma, si limina, quibus
altum clauditur mare, si alterna tem-
porum varietas, si suppetiæ denique,
quibus quotidie reficeris, aspicienti non
à fatali casu, non à temporis succesio-
ne, non à temetipso, sed à quodam
supremo Artifice creari tibi videntur;
hunc pietate tua dignum existima; hunc
omnium, crede, esse Moderatorem;
ipsique amoris, gratiæ, atque obser-
vantiaæ protinus officia persolve."

Et re quidem vera ornatissimi
viri: est etenim quædam virtus à Cœlo
concessa ad beatitudinem erudiens, quæ
nos cum Deo quodammodo religat.
RELIGIO, RELIGIO quidem est, quæ
præbet afflictis solatium, quæ offert
ægrotis medicinam, quæ requie donat

fessos, quæ pauperes et reges æqua-
metitur lance, quæ in prosperis tem-
perantiam, in adversis perfugium, in
virtute animum, in criminè excitat re-
morsus; RELIGIO denique una tantum
felicitatis est origo judicanda.

Nam quamvis Ratio et Religio
quædam possint ex his proprio sibi re-
petere jure; et quamquam altera atque
altera eodem veluti centro innitantur,
Religionis tamen circumductio tanto
Rationi antecellit, quanto cupressi
æthereæ à lentis solent, ut ita dicam,
distare viburnis, quanto cæteris ani-
mantibus homines præstare.

Neque ideo rectæ Rationis iudicia
jactat Religio; verum ultro libenterque
appetit; et ita appetit, ut quæcumque
nostræ commissit fidei, illius auxilio

roborata, imo pectore sarta tectaque
teneantur. Sint hujus veritatis testes
illa primæva tempora, æquè pietate ac
sapientia refferta, queis Religionis fun-
damentis ejctis seduloque disquisitis,
Ecclesiæ gloria atque splendor repe-
tendus. Sint itidem testes sæcula ab his
omnino diversa, quorum omnes me-
minisse horret; quæque generali cali-
gine obducta scientias, mores, atque
leges usque èò profligarunt, ut etiam
ipsius Religionis sacrosancta ad ab-
surdiores adsciscerent praxes; et in
quibus fervida supersticio frænis potius
quam calcaribus indigens, veræ pieta-
tis locum occuparet. Hæc si ab his in-
quiratis temporibus, Religionem pari-
ter atque Sapientiam eandem fortu-
nam, eosdem gressus, eademque fata

penes habuisse, mutuumque se continuò adjutorium dedissem, apertè fatebuntur. ; Quantum igitur à veritate absunt, qui humile silentium, mentis cætitatem, abjectamque submisionem anchoram atque clavum navis Ecclesiæ fuisse, pseudophilosophi contendunt!

Quæ sit Sapientiæ necessitas, quod inter omnes gentes fuerit hospitium, qui effectus, vidistis: nunc quid erga eam apud Hispanos factum, paucis considerate.

autem huiusmodi non potest mutari. V.
- que siq[ue] I. atque iso no de libet et
mutari non potest. II. sed ipsi iudicari auctor.

Si de rebus Romanorum imperio gestis sermo fiat, obviam nobis erunt illi Cordubæ Philosophi atque Poëtæ, quorum sententiarum virilitas, verborum elegantia, dicendi copia aureæ latinitatis exemplaribus æquiparandæ videntur. Si in primis barbariæ sæculis paulisper immoremur, moribus, scientiis, legibusque Hispaniam cæteris præfuisse populis, vel ex eo intelligi liquet, quod humanæ mentis conditionem superasse diceretur ille JUDICUM codex juris nostratum prudentiæ fons, ab omnibus fere gentibus miratus, ab exteris autem Regibus ultro receptus.

Veruntamen nec tam firmissimis
 præsidiis ab ea , cui omnis Europa suc-
 cubuit inscitiae , meruit Patria nostra
 liberari , usquequo FERDINANDUS et
 ELISABETH litterarum semina colentes
 ab ALPHONSO IX. hujus Academiæ
 conditore, et à Sapiente ALPHONSO jam-
 dudum terræ commissa, adeo Pruden-
 ti PHILIPPO tradiderunt , ut uberiores
 fructus colligere licuisset. Hic , hic est,
 mea saltē sententia , aurea hispano-
 rum ætas numeranda , hic populi His-
 pani auctoritas collocanda , hic summa
 artium magnitudo efferenda. Sed quid
 mirum? Ita quidem à Rege omnes
 honorabantur Sapientes, ut merito pos-
 set illam Æneæ sibi mutuari senten-
 tiam: *Nemo ex hoc numero mihī non
 donatus abibit.*

Sed o rerum humanarum fragilitas! Illa ipsa, quæ nuper hispanum nomen capere non poterant tempora, in lamentabilem infandamque conciderunt perniciem, quæ tot sæculorum glorias omnimodo deleret, nisi dies iterum illucesceret ad pristinum splendorem restituendum. Attamen nepos **LUDOVICI XIV.** tenerrimos amplexus avique præcepta recordatus illam, quam Galli memorantur gloriam, avidus in Hispaniam transportat; novam veluti formam res induit publica; litteræ omni supplicio excruciatæ denuo extolluntur; miserandumque adhuc nobis tuum è vita foret discidium, invicte **PHILIPPE**, ille nisi tam carus, tamque tibi similis filius **CAROLUS III.** nobis solatio fuisset, quo neque justior alter

neque sapientior praeivit.

Quis autem de CAROLI IV. laudibus ignarus? Quas maiores ei commisserunt, litterisne consuluit, favit, honoravit?

Irremeabilis temporum cursus ad ea nos transtulit, quae nostri FERDINANDI, quo nemo nobis dilectior, regnum constituunt. Quid autem dicam de eo, quod ab hoc ornatissimo dicendi loco, sit vobis ignotum? Quid de sua in exteris humanitate, in subditos facilitate recorder? Quid de in tot adversis, totque generum malis constantia? Quid demum de illa, quasi incredibili celerique victoria, quam à quibusdam subditis et in eum, et in patriam infensi, diversique generis seditiones excitantes iterum ac saepius reportavit?

¿Sed qua de causa delendis his
atque nefandis diebus immoramus?
Jam quidem à Patria tam truculenta
tempora aufugere: jam magnus et alius
sæculorum nascitur ordo: jam pacis,
jam quietis nobis ornamenta redeunt;
novamque à Cœlo dimissam cernere
videor progeniem, quæ FERDINAN-
DI VII. atque MARIÆ CHRISTI-
NÆ posteritatem affirmans, patrum
virtutes ac majestatem consequatur.

Neque mei gratis memorisque
animi hæc esse auguria judicetis; sed
ita vera, ut tantæ felicitatis, nostrique
Regis erga scientias amoris vos esse
teneamini præcones.

Ea igitur est pro nostra Academia
dilectio, ut neque publici Ærarii pau-
pertas, neque totius populi inopia ab

hujus Studii restauratione, quam vehementer Princeps intenderat, eum avertere potuerint; adeoque in pristinam famam restitui curavit, ut Collegium Gallico bello superiore dirutum, quod Universitatis glorias quondam suscitavit, quod Hebraicæ, Grecæ, Latinæque linguæ custos diceretur atque magister, quod Musarum denique Salmanticensium cunabulum olim fuit visum, regiis munificentiis atque æquitate (neque stricta dicam justitia) quodam post liminio reducem atque integrum videatis, reædificatum autem brevi tempore speretis.

Sed ut in ipsis, ex quibus exorsa fuit oratio finem inveniat, vos etiam atque etiam obsecro, dilectissimi juvenes, ut imo pectore alte repositum

maneat, veram felicitatem in eis dum-taxat stetisse gentibus, in quibus litterarum atque Sapientiae beneficia cole-rentur.

Etenim si à Vatisbus atque Poëtis longævis hominum ductoribus; si ab Scriptoribus atque Philosophis scien-tiarum atque virtutis magistris; si ab Imperatoribus et Ducibus nihil præter stragem clademque appetentibus; si à nostris denique Regibus litteris undique faventibus, hanc fuisse unum, dicitur, beatitudinis fundamentum; vi-dete, ne, ut illis pulcherrimum fuit tam sancta tamque debita Sapientiae officia præstare, sic vobis turpissimum sit, quod ab illis acceptum habetis, con-servare non posse.

Quapropter pergit, adolescentes,

pergit eā qua soletis assiduitate , ad
laboribus vestris finem imponendum,
ut tot curæ , tot sudores , totque vi-
giliæ supremis Academiæ honoribus
donandæ censeantur ; dulcisque Patria
vestris quondam humeris subnixa , diū
multoque sospes atque incolumnis ser-
vetur.

DIXI.